



Ms. gall. quart. 111.

acc. 1889. 91.



Epistola

J: J: A: C: J: ad R: P: G: ad S: A

Ex Biblioth. Regia Berolinensi.

Admodum Reverende Pater Guardiane, Recordor nuperi prandii in refectorio tuo tam bono victu, quam optimo spirituali discursu me benignè receptum fuisse, quod proinde tibi gratias debere non cessaverim, Chartesius nobis in mensâ fabula fuit cum rationibus suis, plures mundos simul stare posse, quod thema plurium cogitationum nobis subministraverat ansam. Nimis æstimo genium istius venerabilis viri, quod —

præsumpserim Sine distinctione, et
grano Salis illum hoc protulisse.
omnipotentiam divinam infinitam
enti primo per hoc assertum recusare
non voluerit, putoque Sic illum condi-
tionaté Subintellexisse, nempe nisi
Deus aliud crearet Spatium compre-
hensivum Similem machinam totius
cöeli, et terræ, Sine quo destrueretur
ordo omnium tam bene, et bono fine
a Deo Creatore institutorum.
Ut autem clarius probemus, distinctio-
nibus indigemus, quarum Cornelius
Agrippa, qui Super artem brevem
Lullii commentatus est, tredecim
recenset, Lullius autem quinque
primarias Statuit, quarum prima

Ex Biblioth. Regia Berolinensi

ex essentiâ, et esse, et uice versa. Secun-
-da ex potentiâ, et actu, et uice versa;
tertia ex potentiâ, et objecto, et vice ver-
-sa; quarta ex fine rei, quinta magis
propinqua, et usitata, quæ fit per
genus, et differentiam.
Vera definitio causæ essentialis nobilior
est quæ per proprium actum fit, et for-
-tior illâ Scholasticorum communi, quæ
per propriam Subjecti passionem igno-
-bilius fieri solet, et secundum Doctis-
-simum Raijmundum Lullium sequent
fieri posset, respectu Subjecti Entis
primi Dei unius, et trini.
Quod infinitus unus sit ens perfecti-
-one infinitatis potens producere ab
æterno effectum unum in se essentia-
-liter

æqualem extra Se autem infinitas
creationes a parte post infinité duran„
„tes in omnibus tantummodò Similes.
Actus intrinsecus vocatur generatio
æqualitatis causa, extrinsecus crea„
„tio ex nihilo Similitudinis ratione.
Sicuti ens infinitum ab æterno in
æternum Sibi æterné æternum generat
tanquam omnium majorum majus,
Sic deductione de majori ad minus
necesse erit asserere, Deum posse entia
minora infinita numero infinité
durabilia a parte post extra Se abso„
„luté creare, Si majori ipsius gloriæ
competeret, nisi quis concederet majo„
„rem potentiam, et actum æqualita„
„ti competentes, et negaret minores —

Similitudini competentes incurrendo absurdum, esse omnipotentem, et non omnipotentem Deum, quod implicans nisi a mente captis timendum non erit.

Sic unusquisque negans Deo potentiam creandi infinitos mundos, recusat illi minorem potentiam, concedendo majorem, nec admittit transitum de majori ad minus.

Apparuit Reverentia vestra assertum consequens, si plures mundi creandi concederentur, requiri inter hunc, et illum novum semper spatium infinitum, ex quo sequi processum in infinitum.

Jocosus non serius fuit iste Sermo —

contra quem retorqueo, si conceditur Deum posse in infinitum procedere in creatione, illi per hoc absurdum non concedi, sed potentiam illi soli neces=
=sariam, et constat, concesso infinito genito essentiâ æquali faciliter illi concedendum erit finitum creandum, in tempore, numero tantùm infinito, et duratione Deo simili.

Prædicatum infinitum subjecto spa=
=tio in singulari inconvenienter, et absurdè attribuitur, dum spatium, et infinitum, sibi contradicunt; spatium enim includit ens corporale, materiale, principiatum, tempus, locum, et si=
=milia, quæ omnia termino infinita=
=tis sunt opposita, cujus extensio est

immensitas nulli principio sive acci-
-denti subjecta, quod prædicatum —
infinitis numero spatiis in plurali
concederetur, ratione creationis poten-
-tiæ infinitæ omnem impotentiam
excludentis.

Delectabile foret scire, an Deus plures
creaverit mundos nobis ignotos, delecta-
-bilius autem est scire positivè, illum
plures creare posse, si supponimus
omnipotentiam attributum Deo esse
necessarium.

Ratio autem quæ magis amabilis, —
magis intelligibilis, et majoris impres-
-sionis apparet, tenet, quod Deus hunc
nostrum mundum solummodò crea-
-verit, an adhuc alius existat, dico

Saltem de illo nullum mihi Subminis„
„trari a ratione fundamentum, nostrū
autem coeteris bene multò nobiliorem
esse.
Quia in hunc Deus de coëlo descendit,
et incarnatus est, per quod maximum
bonitatis opus implevit, majus
extrinsecè, id est respectu creaturæ
posse imaginari, excogitari, nec intel„
„ligi.
Hac ratione hunc nostrum esse
nobilissimum constat, hunc esse
unicum adhuc probari est. Quia Deus
unus, optimus maximus, unum
tantum optimum, maximum actum
in generatione Sui exhibere potest, et
consequenter ad Sui exemplar respectu

creatura unum tantum optimum actum liberationis exhibere voluerit, ratione credere competit. Si plures enim tales actus peregisset, daretur pluralitas in Superlativo, quod si duo darentur optimi, neuter ipsorum esset optimus, credendum igitur erit unicum actum optimum unius liberatoris unico tantum mundo liberando attribui, et non pluribus posse.

Hac valeant contra Statuentes requiri spatium infinitum in creato finito confundentes unum in alio, falso negantes Supposito Deum plures creare posse mundos: de omnipotentia ipsius nullum superstat dubium, quod si voluerit, negandum est hac ratione

peractus est finis intentionis Dei in creatione mundi unius unicique ho-minis constituendo eum cum libertate in bonum, vel malum, ut habeant justitia, et misericordia, quid agant, sine quâ libertate creaturæ concessa hæ duæ potentiæ fuissent otiosæ, quia his extra se tantum agere potest. Hinc fulget. Alpha, et Omëga.

Principium, et finem Deum propter se, et suum proprium finem creâsse quod impletum est creatione unius mundi ac unius hominis, subminis-trando ei in libero arbitrio occasionem obedientiæ, vel inobedientiæ, et sibi illam justitiæ, et misericordiæ.

Objiceret quisdam, si unicus mundus sufficit ad gloriam Dei quoque, et unus homo suffecisset, ad quod respondendum, utique suffecisse ad exercendum actum divinæ justitiæ, et misericordiæ, et annuendum nonnisi unum creatum fuisse, plures autem geniti, quæ potentia iterum concessa fuit a Deo in similitudinem ejus cum differentiâ, ut unus, abuno, plures. a pluribus, unus abuno Patre; plures a parentibus, nempe Patre, et matre generentur, quæ multiplex transmissio Entium æqualium extra se nobis et Deo bona est, nobis ut qui, escamus in fine genitorum, Deo ut multiplicentur Creaturæ rationabiles

ad majorem ipsius gloriam.
Post hunc finem primarium gloriæ Dei hominis primarius est ut mul„
„tiplicet suam speciem saniore definitione verificanda, quæ fit secundum superiùs allegatum a propriâ subjecti actione, quam illa qua a propriâ subjecti passione per consuetudinem non observantibus efficaciam prioris vulgariter introducta fuit: nemo autem contradicere potest, actionem pas„
„sione nobiliorem esse, et exinde in nobiliori subjecto definitionem quoque efficaciorem evenire.
Hic inferi potest necessitas hujus definitionis de potentiâ ad actum

proprium, dum per hanc magis, quàm per omnes alias probas confunduntur prædestinationi simpliciter deditti falsæ explicationis dicta inhærentes /: quod Deus scit, id vult :/ horum dico multi stupidé plures autem malitiosé se subtrahunt bonis operibus quiescunt in malo supposito, pertinaces in ignorantiâ, confundunt tanquàm absurdi forma, litates Dei, et ipsarum actus proprios, volunt Deum scire per voluntatem, et velle per sapientiam negando potentiæ proprium actum, concedendo illi alienum, hi sinè dubio nunquam viderunt, aut audierunt de nonâ, et decimâ regulâ questionum Lully ubi tractat differentiam modalitatis, et

instrumentalitatis nempe quomodo, et cum quo, ubi monstrat quidquid a Deo veniat cum omnibus attributis ipsius fiat, uno concreto existente in alio, quorum multiplicitas infi-nita non impedit cujuslibet abstracti proprium actum, sed cum habitu aliarum virtutum, unum attributū reddit aliter habituatum, Sicuti bonitas cum majoritate majus præbet bonum, quàm illâ minoritate habitu-atâ, horum deductiones plures in arte generali Lullii animadvertenda Sunt, et addiscenda principia rerum, et definitiones earum, ex quorum defectu cognitionis maximi errores, et difficultates proveniunt in

Scientiis abstractis, et investigationibus physicis mille deviationes, attribuendo corporibus operationes ipsorum proprietatibus oppositas.

Quando dicitur Sapientia est amabilis, Sive volens, et voluntas Dei est Sapiens, videbitur quomodo attributa divina modo Sunt abstracta, modo concreta, et quomodo Sapientia cum habitu amoris fit amabilis, et cum illo det Sapere amabile, et voluntas, Sive amor cum Sapientiâ fit Sapiens, habens actum voluntatis Sapientem.

Per Se, et Simpliciter autem quodlibet attributum habet proprium actum, Sicuti voluntas per Se vult, Sic Sapientia per Se Sapit, et Sapiendo Sapere

præbet bene, magne, virtuose, veré, et similiter in infinitum, etiamsi in essentiâ Dei attributā ejus formalita-
-tibus sint differentia; attamen in unitate essentiæ sunt concordantia, ac si eorum infinita dentur, tamen non sunt, nisi unicum Ens.

Ad propositum incidens definitionum defectum causatum remonstrabo — Reverentiæ vestræ, quomodo Priorem alicujus monasterii in rurali vicini-
-tate meâ nuperum ante plures ipsius confratres, quorum Lector Philosophiæ erat a me publicé fuisse confusum, aut ficté, aut inopinate dicentem, — problematicum esse, mundum ab æterno stare posse.

Contra quem sequentia protuli, dicendo, problematica propositio est, interroga,
tionem annexam habens, an sit, vel non sit, ergo esse mundum ab æterno, et non esse ab æterno mundum, simul stare non possunt, et contradictorium causaret, quorum plura incident, et primò ad terminum creati, et increati me ducit in creatum incorruptibilitatem per æquale, et simplex requirit creatum corruptibilitatem per inæqualitatem ex contrarietate includit, uti se habet mundus variabilis ex partibus contra,
riis compositas, ex quo sequerentur duo æterna invicem contraria, unum concordans ex simplici, et æquali, alterum contrarians ex composito et

et inæquali, ac si dura cervix quædam exprimere possit non dari contrarietatem in mundo, et extorquere Deum et mundū esse æqualem, duo exorirentur æterna cum duo æterna, neutrum ipsorum est æternum, et superiore proba sustinen-dum, et quia essentia, unitas, simplici-tas, æternitas, quæ per se durat, et omnia per se durare facit, necessitant Deitatem, et illi competunt, sicut et prima bonitas, per quam omnia boni-ficantur, et cum uno æterno optimo ente unam constituunt essentiam quarum duas esse implicat, sic una æternitas optima unum optimum et æternum est ens, quod si non datur æternum, non datur et optimum, quia

quo plus quid durat, eo melius est duratio-
-ne, si daretur ejus aequale superlativum,
cessaret, si nullum ens optimum, nullus
est Deus, contra quod fides, et ratio obstant
dictô textus. Dixit insipiens in corde, non
est Deus, quem existere per hoc fides cum
intellectu probat. Quod insipiens nega-
-ret, sapiens concederet, quod ultimum
omnes homines praestare vellent, si
nascentium natura non aberrâsset
viâ rectâ propter obstacula accidenta-
-lia, quae inter plus, et minus differunt
Si adhuc dura cervix mundum ab
aeterno stare profiteretur, sine dubio,
quia aequalis Deo in aeternitate
gloriosiore actu proprio quam ab
alieno, et sibi duratione pari, mundus

per

per se ipsum semetipsum produxisset, quæ productio, aut creatio, aut genera-
-atio vocari est qualis ultima duplex, spiritualis et corporalis, spiritualis —
solum in se abintrâ agit, dicendo intel-
-lectus intelligit se ipsum intelligentiâ suâ, corporalis ab extrâ agit. et fieri solet physica generationis instar, quæ adhuc differunt in hoc, quod spiritualis ab uno solummodò genitore fiat, corpora-
-lis verò a duobus parentibus, scilicet Patre, et matre simul; ambæ hæ —
generationes differunt, et concordant, æqualis est uni intellectui suum —
intelligibile unitatis essentiâ non differens

Aequales sunt filii hominum Petro, et

Petronella, uno genere humano concordan-
-tes, realiter autem differunt unitate
essentia, specie, et numero, quia et
Parentes, et filii totam Substantiam
humanam a parte habent et plures
numero constituunt, et omnes tres
habent quamlibet Suam propriam essen-
-tiam, et tres formant essentias particu-
-lares realiter Separatas, quod generationi
Spirituali intellectus respectu intelligibi-
-lis accidere nequit, unam Solumodo
essentiam includenti, et generationi
corporali accidere debet, plures essentias,
Species, et numeros producenti, denique
uti corporali enti corporalis actio
competit ita corporali mundo corporalis
actio competet, et dandi erunt mundo

parentes, maritus, et mulier, et filii quos cognoscere vellem.

Si se non generavit iste mundus, ens æternum materiale generatione otiosum, forsitan creaverit semetipsum; adhuc magis tale Ens cognoscere averem discursibile, ut illi insinuarem quod fuerit antequam fuerat, quod nobis producat infinitas absurditatum pluralitates involventes nobis etiam extra jocosum Spiritum Domini.

Fontanelis pluralitatem mundorum et secundum Lullium etiam illam Deorum, bini æterni causâ quæ unitatem tollet, cessante uno, cessabunt duo et forsitan ternarius sinè uno, et duobus generabitur, et nihilum existet, et ens

non existet.

Solvendo autem errorem talia præsumen,,
,,tium dicimus cum authore Lullio mun,,
,,dum idealem ab æterno stetisse in Deo, et
talem mundum ipsissimum esse Deum,
teste ipsomet, Idea Dei est Deus. Quidquid
se habet in Deo solo extra illum a parte
rei non existens, tale ens est Deus, sic
Idea Dei proprium nomen, et esse ipsius
habet, uti potentia ejus intrinseca in
actu intrinseco bene ab æterno existens,
ast in extrinsecum actum non deducta,
ex quâ potentiâ, dum in creatione egit,
exivit verbum fiat, ut scilicet manifes,
,tetur. Deus extra se creando mundum
nostrum palpabilem per mundum
idealem comprehensione inaccesibilem

deducendo ipsius potentiam intrinsecam ad actum creationis extrinsecum, Deo similem, non æqualem, quia infinitate distant.

Supponendo denique ex præmissis intrinsecum actum Dei esse ipsissimam essentiam ejus, quis negaret generatio-nem Dei esse ipsius essentiam, quis quod generatio Dei sit actus, et perfectio Dei Patris genitoris omnipotentis habentis potentiam æternam generan-di ab æterno sibi unigenitum æternum filium Deum, qui a Deo genitore ab æterno genitus est, habens se objectivè respectu æternæ potentiæ genitoris, qui Spiritu Sancto æterno generationis æternæ tanquam actu æquali in

unitatis essentiâ Deitatis generavit filium Suum unicum.
En mirabile fulcrum probationis à potentiâ, et actu deductum ad basim omnium rerum cognoscibilium perveniendum oriens ex omnium verborum necessaria Triade potentiâ, objectô, et actu in omni verbo, et ente infalibiliter reperibili cum concordantiâ intrinsecâ essentialiter relativâ cum differentiâ, et oppositione tantummodo formali non essentiali quia referunt se ad unitatem, libenter dicerem loco oppositionis contrarietatis terminum, ut mentem Authoris Lullii ad unguem sequar, quia tria hæc principia respectiva, differentiam, concordantiam,

contrarietatem omnibus inesse statuit, sed non audeo incurrere terrorem vulgarium Scholasticorum opinantium, qui me crucifigeret, si statuerem contrarietatem in Deo, qui nec de contrarietatis termino quidquid sentire vellent, non capientes contrarium sive contrarietatem terminum esse generalem, sic oppositio est contrarium in positione sive situ, aut loco, contradictio contrarium in dictione, et similia, quæ modo physicé, vel logicé, aut metaphysicé intuenda erunt. Talibus autem attoniti evidenter se monstrant ignorare principia terminorum universalium tam absolutorum quàm respectivorum, fundatosque

tantum esse in particularibus, cum quibus debiliora formantur argumenta uti cum parte, quæ debilior est suo toto. Differentia formarum non lædunt essentiam, sic forma justitiæ vindicativæ quæ remunerativæ valdè opposita, non destruit essentiam justitiæ, sic dicendo, Deum meliorem esse in bonitate, ut sic, seu simpliciter, quam in bonitate jus=titiæ, non offenditur simplicitas bonitatis, nec justitiæ, ratio est, quod in bonitate non nisi gratiam aut bonum præbeat, in justitia autem vindictam, et poenam, quia extrinsece judicato malum sentire facit, ambæ justè, et benè, quod ultimum in misericordiâ, et gratiæ dono simpliciter tantum

Sentiendum erit.
Itaque in aliis analogicæ contrarietatis exempla monstrari possunt, uti passivum respectu activi, sic objectum respectu potentiæ, materia respectu formæ, quæ omnia inter duo extrema requirunt medium ad reciprocam unionem, quæ unio ipsamet medium est, et tertia pars substantialis, sinè quâ substantia subsistere nequit.
Cessante verò medio, sive unione, privatio adest, quam sequitur corruptio, quæ in moralibus vitium generat, en alia specie contrarium, quod illud, virtutis nuncupatur.
Sic inter vitam, et mortem, quæ contrarietas privativa vocanda

Seu privans, aut privatio, ens, et non ens etiam sibi invicem sunt contraria, et si inter existens, et non existens licet uti termino contrarietatis, potiùs — licuerit inter realiter existentia illam meditari.

Definitio autem contrarietatis apud Lullium est, quod sit quorumdam mutua resistentia, sive repugnantia propter diversos fines.

Finis iterum triplex reperitur, ille perfectionis, terminationis, et — privationis, ut etiam comparativé, et allegoricé contrarietatem monstremus inter Patrem quemdam, et filium quæ nec naturam Paternitatis, nec — filiationis absurdé destruat, loquendum

hic erit de fine perfectionis Patris respectu filii, ut agat in omnibus vices suas Pater, et filius respectu Patris quoque suas si unus alterius ageret vices extra tempus, intelligo de statu perfectionis, quia bis puer senex, et raro in juvenili ætate ars datur canuta, unusquisque certam repugnantiam contra jus natura-rationis sentiret, qua vocaretūr a Lullio contrarietas propter inversionem finis naturalis ordinis a quo deviatur, resistentiam denotando, denique contrarietas pro termino universali sano sensu accipienda, quia in omnibus cum differentiâ gradus consideranda est, fortissima invenitur in elementis, et elementatis tanquam extrinsecè,

et localiter, mixtis, quia realem —
Separationem, privationem, et corrup-
-tionem causat, Sicuti in aquâ, et igne
probandum est, qui mediante aëre
aquam frigidam calefacit multipli-
-cando Suas concordantias, quas habet
in terrâ, et cum aëre plusquam aqua
Suas, quos habet ab aëre, et terrâ, et
in ipsâ Suum calorem multiplicat,
ex quibus concordantiis in —
elementatis Sua essentialis concor-
-dantia vivit, et Sicuti per medium
concordantia contraria Se invicem
miscent, et vivunt, Sic Sine medio
aut nunquam Se uniunt, et —
maxima contrarietate corrumpun-
-tur, non in nihilum, sed Secundum

definitionem elementi testante Lullio quod sit ens quod in aliud nisi in elementum resolvi potest, et sic in aliud elementum transmutatur uno illorum prædominante.

Contrarietas in physicis, et moralibus destruit, et construit, uti notatum est, de vitio, et virtute, quod destruit et corrumpit virtutem, et viceversa; de virtute intelligendum est respec-, tu vitii, quia ultima destructio, sive corruptio, bona est, quia virtutem generat essentialiter autem nunquā titulum bonitatis meretur, sed — tantum accidentaliter; à — philosophis nomen boni sortita — est corruptio, quia privando incipit

quod principaliter in Physicis Subintelli-
-gitur, et parabolicè in materiis Scienti-
-arum, qua non generantur, antequam
ignorantia corrumpatur, aut destruatur.
In Substantiis puris, et Simpliciter —
intellectualibus incorruptibilibus omnis
oppositio respectivè construit tantum,
et generat nempè illud perfectè trinum
potentiam, objectum, et actum, essen-
-tialia intrinseca illa tria correlativa,
ubi opposita contrarietas objectiva —
realiter non est separabilis nec ab actu,
nec a potentia, sed simul perficiunt,
quidquid ab intellectu perfectè intelligi
potest, et ultra intellectus comprehen-
-sionem perfectissimum est ens in illâ
unicâ essentiâ, qua non essendo Trina

perfecta esse non potest.

Hæc omnia Reverende Pater, prompto im-
-pulsu mentis conscribo, et meditationi-
-bus lenti gressus remitto, et potius —
apprehensione mentis intuenda consulo,
quæ prima ipsius operatio, postea dis-
-currendo, demum judicando, quæ vera
methodus, et ordo operationum mentis
est, non illa secundum vulgares —
Scholasticos, qui judicium discursui
anteponunt, non capientes primò dis-
-currendum esse per principia positiva,
et respectiva, substantialia, et acciden-
-talia, universalia, et particularia —
antequam intellectus judicium formet.
Denique sine apprehensione magna
tam magni ponderis talia non —

Scripsissem, Subjiciens me libenter, et humillimè cum obedientiâ perfectâ credere quidquid Ecclesia Catholica fide-libus Christianis credere Statuit. —
Enucleare Sublimia puncta hujus Epistola conatus fui in favorem Metho-di Authoris tam respectabilis, qui propter acutam Suam penetrantiam, cui nullus par est in Metaphysicis — contraventionem tantorum invidorū passus est, ut eousque ipsorum rabie deposita illum hæreticum et Magum proclamarint ex confusione perversi alicujus Scriptoris idemque nomen-gerentis.
Redeo ad verum Philosophum cum illo dicens, non convenire De Deo loqui cum

comprehensione, quia comprehensus, finitus, limitatus comprehensorem comprehendere nequit, sic objectum alicujus potentiæ inæqualis in facto superioris extensionis refluxum — æqualem habere non potest.

In termino comprehensionis non claré distincto Dominus Leibnitzius in libro Théodicée intitulato Lectoris discretioni sæpius se tradidit, in quo bonus discur- sus de conformitate fidei cum ratione invenitur, contra quem nil mihi — dicendum, sed Lullius plura addenda in libris suis lectoribus insuper jam per quatuor sæcula reliquit.

Attamen non possum quin defendam meum Lullium, contra quem Dominus

Leibnitz in eodem discursu fol: 70: §. 59. dicens, etiam bonum esse observare, quod ille qui probaverit à priori rationem reddat per causam efficientem, et quisq; tales dare potest rationes methodo suffi„cienter exactâ, etiam capax est rem comprehendere, ideo Theologi Scholastici jàm jàm corripiebant Raymundum Lullium super illius philosophicé demonstratæ Trinitatis audaciam, talis præsumptio demonstrationis invenitur in operibus ejus Scriptis.

Bartholomæus Kekermannus Author celeber inter reformatos similia tentans super hoc mysterium non minùs correptus a modernis theologis fuit, corripiendi sunt illi, qui rationem

de hoc mysterio illudque comprehensibile reddere volunt, sed laudandi, qui contra adversarios in eo sustinendo laborant supra quod dicendum est, probari a priori Deum, aut ejus attributa aliud non esse, quàm Deum per se ipsum probare, et ipsius attributa, quæ sunt ipsius rationes essentiales, et intrinseca in ipso, cujus causa efficiens etiã est ipsissima ejus essentia, quæ verius probari non potest, quam per philosophicam rationem formatam per intellectuale, quod illi magis conforme, et simile, quàm coetera omnia creata, sed quisquis tales præstiterit rationes, quas Lullius super quemlibet scriptorem exactiùs, et

Sufficientius tractavit, quod tali quoq;
competerit comprehensio rei, negandum
est utique, et falsum erit in Sensu
quoad comprehensionem sed verissimum
erit in illo intellectionis; prima erit
temeritas in æquiparando se Deo,
Secunda erit necessitas communicationi
Sapientiæ veræ creaturis intelligibili-
-bus;

Comprehendam, quod intelligam argu-
-menta, et rationes meas esse justas
super attributa Supremi entis, et
intelligam meas rationes comprehen-
-sibiles, scilicet per conjunctionem —
subjecti, et prædicati, per antecedens,
et consequens, et similia, quod objectũ
intelligibile sit incomprehensibile

Proprietas Syllogismi est de productione philosophi, ille comprehendit ipsum, quia illum formavit, et per hanc — comprehensionem intelliget quod ea quæ de Deo loquitur debeant esse intelligibilia, et comprehensibilia, tanquam argu-„ „mentum formatum habens se — passivè respectu formantis, sine consequentiâ, quod objectum eveniat comprehensibile, cujus nemo est author, præter ipsum sui solum, philosophus tantum suarum rationum construc„ „tor est, quæ reddunt supremū objectum solummodo intelligibile ut duarum evitetur invectiva absurditatum, una præsumptionis æquiparantia Dei, altera recusationis, communicationis

Sapientia vera creaturis intellectuali-
-bus quibus omnibus naturaliter data
est ars combinandi, sive inventio medii
apté convingendi Subjectum, et prædica-
-tum, qualem Lullius tantùm in prin-
-cipia, et regulas, inque formam
Subtilissimæ philosophiæ reduxit, ex
qua Solidiùs probatur, quàm ex omni
aliâ Sientiâ, logica, vel metaphisica,
vulgariter tractatis, eousque nec
Mathesis, nec historia ire non pos-
-Sunt, ultima quidem a facultate
animæ quoad memorabile dependet
Sed deficientibus libris, qui casibus
ruinæ Subditi, uti Successit, ubi
quærendus regressus motivorum
credibilitatis, nisi in philosophiâ

cujus principaliarum partium Me-
-taphysica non dignatur certare de
competentia gradus cum mathesi,
quæ nimis materialis in tractan-
-dis abstractis, tamen tentavère —
quidam conciliare certas demonstra-
-tiones mathematicas cum argumentis
metaphysicis, laudo tentata, minus-
-que admiror probata distantiæ —
causa, tandem fatendum est, ipsius
habitum nimis esse spissum, nec
nuptialem, hinc non licet illi adire
Corinthos, sicuti penetrantissima
metaphysica puré intellectuali
omnium scientiarum Regina.
Theologi scholastici, nescientes bené
distinguere, et consequenter nec —

melius docere corripuerunt Raymundum Lullium, demonstrationem super Trinitatem philosophicé tentâsse, non solùm prætensam, vel præsumptam sed quoque probabilem, et probatam in ejus scriptis invenimus pluribus argumentis philosophicis deductam —
Similiter Bartholomæus Kekermannus author alias celeber celeberiorem famam in pari tentativa super hoc mysteriū adeptus est, et injuste correptus ab aliquibus theologis mediocribus modernis ex approbatione talium operum Lullii a Martino quinto gloriosæ memoriæ Pontifice.
Sic justô corripientur titulô, qui hoc mysterium comprehensibile reddere

præsument, sed laudabimus diligenter operantes in sustinendo illud intelligi„ „bile contra objectiones, in quibus confunduntur casus comprehensibilita„ „tis, et intelligibilitatis in objecto, aut subjecto in casu intelligibilitatis solius, qui ad objectum spectat, vel in illo comprehensionis, et intelligentiæ simul, quæ spectant ad subjectum argumentorum, et rationum sine confusione unius cum altero, et en adsunt concernentia super §um 59. sed pergamus ad §. 60. eod. fol: 70.

Ubi citatus jàm dixisse persuadet theolo„ „gorum distinctionem inter illud, quod supra rationem, et quod contra rationem, majoritas illius supra, vel superioritatis

nos jam ad correlativum obligat, quod invectivam rationis privationis nobis non insinuit, sicut dici nequit hominem majorem destruere minus magnum qui major non existeret, quam existente alio minore in magnitudine /: et per parenthesim meditari licebit super supremū bonum quod necessario existit per privationem supremi mali, nam majus malum cogitari non potest, quam privatio summi boni, sic omnium rationum maxima, quæ invenitur in unitate omni sapientia, non patitur indecentiam in non opponendo se in communicatione sapientia intellectui creatura ratiocinantis, ut illa, quæ invenit rationabilia, in mysteriis non

Subsistant, sed necessario subsistente omni sapientia vera, quod intellectus creatus subsistat veré in ratiocinando super has rationes omni sapientiæ essentiales, contra quod Lullius nun-quàm meditatus est, bené quidem docet rationes Dei esse super omnes alias, et quod hoc super existat in majoritate respectu existentiæ rationum inferi-orum, quæ involutæ sunt superioribus quoad imaginem creatoris.

Itaque bene definitum est, quod illud super rationem sit, quod non potest comprehendi, id est æqualiter intelligi respectu proprii objecti supremi, sed dicere conforme rationi, aut intelligibi-le cum differentiâ exclusionis —

æqualitatis, quæ reformat nostram
comprehensionem respectu Dei, nec
Supra rationem minus contra ratio-
-nem est, quia communicatio omni
Sapientiæ Species est gratiosæ unionis,
quæ nos bono creatori Similes reddit
Se reddendo objectum intelligibile —
potentiæ nostræ intellectivæ, compara-
-tivè quidem, et minùs est adhuc contra
rationem, quia hæc generosa commu-
-nicatio nos reddit rationabiles, quod
excludit irrationabilitatem, quæ
Sola potest vocari contra rationem,
tanquàm privatio obivecatio, Sophis-
-ma, quæ producunt argumenta —
Solubilia, quæ a verâ ratione resol-
-vuntur, ut falsa, et temeraria per

argumenta insolubilia a facie cujus-
-libet Critici, et hoc vocatur reddere
rationem sine præsumptione reddendi
mysteria comprehensibilia, quæ
nobis æqualia fieri non possunt sine
destructione primordialis superiori-
-tatis, in quibus sustinendis unquam
Scriptor audaciore fronte se præstitit
quam Lullius in sua methodo artis
generalis, ex quâ sponté quisquis eru-
-diri quit, modo velit se exuere de
præjudicatis nostrarum vulgarium
Scholarum, et dare situm ordinationi
principiorum hujus authoris, ante
cujus ortum usque in hodiernum diem
infiniti habiles Doctores confundebant
comprehensionem, et intelligentiam

respectu unitatis primæ.
Archiepiscopus Cambreacensis in libro
de existentiâ Dei, loquendo de compara-
-tione Dei, et creaturæ inadvertenter
locò Similitudinis expressione æqua-
-litatis usus fuit, cujus genium, et vir-
-tutem, doctrinam, et stylum qui natu-
-rali pulchritudine exsurgit, Sat
aplaudere, non Sum capax, verum
est, nil Sinè Similitudine Sapientiæ
Creatoris, procreatum fuisse, recordabi-
-tur R: V: historiæ corvi a Plutarcho
narrata, et illius formicarum Su-
-premi Exercitus gallorum in Italiâ
ducis domini a Catinat, quorum
amborum animalium analogicæ
prudentiæ casus ab aliquibus —

pro ratiocinio humano imputaban-
-tur, quod vix comparationem meretur
ob magnam distantiam, et differentiã
intellectualis, et Sensualis, quæ —
inferior est comparatione intellectualis,
cum intellectuale, Sicut Se habet illa
inter Deum, et creaturam rationabi-
-lem, quæ differunt cum concordantiâ,
prima autem inter Se cum contrarie-
-tate, uti comparandum est rationabile,
et irrationabile aliter cogitantes —
nesciunt distinguere effectus luminis
astralis, et illius rationis, quorum
primum Semper essentialiter
causat, et privat in brutis, Sed in
hominibus nunquam essentialiter
agit, Sed fit tantummodò per

privationem, aut impedimentum ac-
-cidentale; et hoc ad tempus in Saeculo,
major extensio super haec duo lumina
contra propositum esset, reservabo
desuper alias confabulari, iterumque
pergo ad ardua mei praedilecti authoris,
quae omni respectu imaginabile jam
diu percurrebam, sentiensque cum
illo, quod defectus nostrae incompre-
-hensibilitatis intelligentiam, et
rationem nostram non deleat, cum
quibus solummodo vera attingere pos-
-sumus insequentes fidei, et rationis
vestigia.

Alloquitur Romanos Apostolus videte
ut obsequium vestrum sit rationabile,
fides enim nobis est doctrina, et praecep-
-tum

Sapiens ab origine legislatoris quæ per habitum doctrinæ intellectum dispo-
-nunt ad motiva credibilitatis, ut una virtus cum alia fortificetur, et altior eveniat, adinstar olei in vase supernatantis aquæ, itaque Lullius meus de fide, et intellectu sentit, et magis cognitum magis volitum verè apparere facit.

Spero te hasce legentem paucas lineas epistolaris formæ, esse persuasum, normam hujus sublimis allusionis in subversionem debilium princi-
-piorum Arianismi invincibile quoque stare propugnaculum, cujus author coecus confusus personas divi-
-nas confundit, unam Creatorem

alteram creaturam afferens, hisce princi-
-piis autem Lullianis, quæ edidisci, et
quibus repetendo quotidie edoceor, differentiam
formalem ipsarum quasi ad oculum
remonstrare fide, et intellectu compellor.
Nec timeo incurrere præsumptionem
Schismatis quorumdam græcorum, quorũ
author temerè sentiens Spiritum Sanctum
a Patre solo, filium vero ab ambobus pro-
-cedere statuit.
In generatione divinâ æqualitate essenti-
-ali consistente non datur prius, nec
posterius ob principia unitatis, et ætern-
-nitatis, quoad naturam ordinis persona-
-rum, tamen necessarium est inter
genitorem, et genitum dari differentiam
formalem, non realem; dico, sicuti illa

inter Petrum, et Paulum, in naturâ ordinis antecedit Pater filium, quod in æternitate, et cœteris dignitatibus dari implicat propter unitatem, et æqualitatem essentiæ, quæ essentialem differentiã excludit, formalem necessitando, ne detur in Deo confusio ratione Suæ potentiæ, et actus intrinSeci, neque detur in Deo otium, ut existat æternus, et non agat æternum actu æterno.

Sicut in ordine procedatur, necesse est fieri definitionem ordinationis, quæ Secundùm Lullium est aggregatio plurium, ut unum in alio naturali ordine quiescere possit, quiescit autem potentia in Suo objecto præcipué, intra quibus tanquam principio, et fine debet

dari medium tanquam instrumentum unius extremi ad aliud, quod vocatur actus, Sic potentia est forma, et objectū est alia forma, omnes tres formæ diffe-rentes Sunt non essentialiter, aut realiter aut entitativè quia essentia una est res, unum est ens, quæ adinvicem se analo-gicè habent.

Definitio autem potentiæ est, quod Sit forma per quam quidquid est, potest existere, et agere, et per illud posse, potest attingere Suum objectum, absque quâ potestate nullum ens existere nec agere posset.

Objectum est Secunda forma /: auderem ne dicere :/ essentialis. dicere licet, ex regulâ Lullii quæstionem Sit: D. tertia

Speciei quærendo, cujus est objectum in essentiâ: respondeo essentia. Si objectum denique erit pertinens possessivum essen-tia, erit hæc forma essentialis, quæ a potentiâ relativé aspicitur tanquàm potentia perfectum perfectibile in quo potentia absoluté quiescit.

Actus autem est connexio, et duorum unio, siné quâ nec potentia esset perfe-cta, quia existeret, et non ageret, nec objectum agibile passivum existeret siné potentia actu tanquam medii unionis duarum extremitatum.

Hæc tria principia essentialiter relativa dant unicui enti suum esse formale distin-ctum, et ut tria essentialia necessaria dant essentia suam perfectam constitutionem

in omni ente, et verbo, ut supra dictum est, reperibilem, et sine quibus nec in intellectuali, nec sensuali, quidquid per imaginationem subtilissimam excogitaretur, dari potest cum differentiâ tamen, qua requiritur inter sensuale, et intellectuale, et coeteris pariter. in Ente primo propter essentiam unitatis hac tria correlativa non sunt realiter separabilia tanquàm intrinseca, qua in extrinsecis materialibus separabilia sunt, uti de generationibus physicis memini.

Ideo secundùm Lullii doctrinam audeo recusare tribus illis intrinsecis differentiam realem, entitativam, et essentialem quia etsi omnia tria se referant —

essentialiter ad essentiam unitatis, ideò tamen differre ad invicem essentialiter apparet, illa non posse quia relatio unit, et differentia realis segregat, quapropter potest credi hanc differentiam inter personas divinas realiter non esse se-paratam, quia enascerentur tres essentiæ, quæ unitati essentiæ contradicunt. Hæc certitudo apparens saltem si non fallor causat mihi dubium an Scholas-tici vulgares non errent, dicendo dari realem differentiam inter personas Deitatis.

Ut autem ipsorum sensum sanè aspi-ciam, permittam illos subintelligere differentiam realem ab unâ essentiâ essentialiter non separabilem, quia

rem non pro entitate, aut essentiâ accipi-
-unt, qua additio essentialiter sive essen-
-tia non separabilis, non solùm illorum
intentum meliùs explicat, sed claré
denotat pluralitatem differentiarum
essentiam non multiplicare, et secun-
-dùm proverbium, omne trinum per-
-fectum illam perficit, ad cujus per-
-fectionem nec addi nec aufferri
oportet nisi cum multiplicatione
entis siné necessitate. dico veró in
ipsorum favorem omni rigore, quod
subtilissima Metaphysica etiam
permittat dicere sine læsione unitatis,
dari non tantum realem secundum
ipsorum mentem, et secundum Lul-
-lianam methodum, et meam

opinionem inesse formalem differentiã quoque, sed essentialem etiam dari inter personas omni acumine, et simplicissimâ veritate erutam, con-cretum enim nempè verbum essenti-ale, unitati essentiæ præjudicare nequit, quod benè accideret, si locò essen-tialis concreti termino usitaretur illo abstracti nempè essentia uti si dice-retur dari differentem essentiam Dei, vel in Deo, aut dicendo dari essentiarũ differentiam Dei locò, quod dentur tres essentiales differentiæ in Deo, quæ tri-nitatem necessitant, quod ultimum verò, pluralitatem essentiarum non inducit.

Ex hac stricta distinctione abstracti,

et concreti posset sequi cum pace bonorū, quod si essentialis differentia admittatur, inter personas, illa nempe, quæ essentias non multipliciat, sed ipsius formas tantum ad erigendum perfecté trinum, realem etiam posse concedi, et si realem multó magis formalem admittendam fore, quæ ultima majore distinctione non indiget.

Quæritur si filius Dei sit essentiale constituens trinitatem Dei, quod non negandum, utrum etiam formaliter, sicuti forma dat esse rei, sit filius Dei, judicandum relinquo illis, qui intrinsecas formas ab extrinsecis distinguere sciunt, posito quod sit formalissimé filius Dei, nempé in formâ essentiali objecti

Dei Patris, sustinebitur certè exinde essentiale, et formale in unâ essentiâ esse compatibilia, et faciliùs adhuc conciliari posse, quàm fides cum ratione in aliquibus.

Essentia est forma, unitas est forma, et trinitas est alia forma, et omnes tres sunt differentes una ab alia per formam distinctionis, quæ agit distinguendo omne quod non est Trinum.

Formæ constituentes Trinitatem causant majorem differentiam, quam illa, quæ est inter essentiam, et unitatem, quæ sunt convertibiles in Deo, sed nunquam licebit sinè confusione, vel obscuritate, sinè errore, aut hæresi, imò sinè absurditate contra philosophiam vocare potentiam

objetum, et actum conversivé eandem rem, tam parùm, quàm confundere genitorem cum filio genito, et Spiritu generationis qui per formam pluralitatis majorem differentiam in inconvertibili nobis concipere faciunt, quàm quoad converti-bile, sicut invicem se habent essentia, et unitas Dei, quæ sunt convertibiles in illo cum unâ trinitate.

Essentia recipit ab unitate terminum, esse unam, et unitas ab essentiâ illum, essendi, quæ est ejus abstractum quod informat omne ens ab esse, verum a veritate, et distinctum a distinctione; quidquid est in uno, bino, et trino, quæ majori lucubrationi Cleri remitto.

Pater, et filius, et Spiritus Sanctus, tres

personæ Sunt Sibi essentialiter correla-
-tivæ, correlativum, et respectivum Sunt
analogica, Seu Synonyma; hæc nullibi
inveniuntur, nisi ubi differentia, et
differentia ipsamet est correlativa; Si
correlativa Sibi Sunt essentialia,
quoque et differentia quæ est correla-
-tiva, erit essentialis, quod Sine læsione
unitatis essentiæ divinæ, et Siné con-
-fusione potentiæ, objecti, et actûs
concreti, et abstracti, essentiæ, et essen-
-tialis Simplicis, et constituti in ente
primo Speculari licebit.
Hæc est distinctio concreti, et abstracti quæ
expressè me fecit Sustinere joci gratiâ
punctum contrarietatis, intellectui tuo
jàm prìus nota, et nunc enucleanda restans

Differentia potest esse contrarians, sed non contrarietas ipsamet in abstracto, nec duo extrema possunt esse eadem, nempè con-cordantia, et contrarietas, inter quas dif-ferentia est medium participans ab utraque, et erit vel concordans, vel contrarians, et capax unius, vel alterius terminationis habitus, qualis quasi indifferentia nunquam faciet illam evenire unum, vel aliud in abstracto, sed solummodò habituatam, vel habitu-andam indifferenter secundùm occasi-onem unius, vel alterius prædicati, adjectivi, concreti sinè destructione proprietatis differentiæ, et trium principiorum respectivorum univer-salium, quæ per prædicatum differens

faciunt cessare simpliciter concordans vel contrarians, demumque in cæteris de naturâ habituantium participabunt. Essentialis est intellectui Intelligentia sua, per quam intelligit suum intelligi-bile, attamen nec intelligentia, quæ est perfectio actûs, sive intelligere, per quem intelligit, est particularis aliqua ipsius essentia, sed de ipsius essentia perfectione quoddam essentiale con-stituens, ita in ipsius exemplum necessaria, et est Deo forma Deificans. Deificatio, sive Deificare suum Dei-ficabile, terminus in hac solâ applicatione tolerabilis, tamen nulla istarum separatim est par-ticularis essentia Dei, sed ipsius

unitatis essentiæ, unum ex tribus essentialibus correlativum. —

Denique distinctionibus nobis opus est præcipue in hac tam Sublimi Dissertatio-ne, in quâ Lullianæ importantissimæ videntur, iterumque nos ad formas recurre-re compellunt, ex quibus Lullista clarius intuetur, illis, qui in Scholis Theologorum communiter dicunt. Processionem Spiritus Sancti esse complacentiam Patris, et Filii reciprocam, hi quærunt extra verbum generare aliud nomen ac si hoc ipsissimum verbum infinitum non Sufficientissime illis monstraret actum inter agentem, et agibilem, uti amor inter amantem, et amabilem, quorum medium est actus, vel agere, generare, vel generatio

amare, vel amor in uno eodemque verbo
naturaliter, et necessario reperibile sine
sublimi studio alioquin investigabile
sicque clarius est capiendum, quam illud
complacentiæ, quæ secundum metaphysi-
-cam Lullii est actus, et perfectio compla-
-centis in complacibili, qui complacibilis
est objectum genitum a complacente
æterno Patre per actum complacentiæ
Spiritus Sancti per quem, et cum quo
quidquid est a Deo genitum, aut productū,
vel creatum, per illum, et in illo, et cum
illo factum est.
Dedit nobis Deus exemplum suæ sanctæ
incarnationis per Spiritum Sanctum
ad similitudinem æternæ suæ generatio-
-nis, qui vult, capiat, ni vellet sibi

Studio, et phantasticè modum compara-
-tionis duriorem præfigurare, et amittere
viam naturalem intelligibiliorem, et sim-
-plicissimam, quis talia præsumeret, dū
vidimus omnia in sui similitudinem
esse peracta.
Nonne infusa fuit Apostolis Sapientia
per Spiritum Sanctum tanquàm per actum,
et perfectionem Sapientissimi Dei, plura
in hunc finem allegare possem, quæ
norma epistolaris prohibet, et tua
majori praxi quam mea scire convenit
Nullius autem tædii esse timeo disgressio-
-nem ulteriorem, extricationis causâ
propter tyrones novam hanc methodum
forsitan acri oculo intuentes, novam
dico illis, quæ per aliquot sæcula jam

trradita fuit, et ut rudimenta illis ignota, plerumque rigida apparebunt, ideo hac metho-do atue magis ratiocinandum erit de actibus intrinsecis Dei, sine quibus nil perfecte trinum, et unum augurari est. Sicuti enim unus unit per unionem, vel per perfecte unire. Sic trinitas etiam erit perfectio trini, ut ternificet triniabile in quo certus et rationabilis ordo instituendus est, ne contra legem, aut contra intellectum, in quibus fides residet, impingamus. Principium potens primum, et unum denique illud scilicet, per quod omne ens potest existere, et agere sicut existit neces-sario, sic agit necessario, necessariū agibile secundum aqualitatem suæ essentiæ nempe deificando deificabile secundum essentiam

attributorum, magnificando, æternificando, glorificando, et similia.

Mirandum est summopere, quod theologorum nullus hujusque trinitatem unum neces-sariorum attributorum cogitaverit, inver-sio naturalis omnibus hominibus versatur ob oculos, sicut sancta dicitur trinitas, sic trina infertur sanctitas, et hæc esset im-perfecta in Deo, si in sanctitate æterna divina trina, non darentur tria correlati-va intrinseca, ut sanctitate non sanctifi-cetur æternus, sicut æternitate æternificatur sanctissimus, ita examinando hanc methodum, videbitur non adeò temerarium esse mysteria rectè meditando attingere quod invenitur in paucis vera philosophia, et consistit in scientiâ definitionum, et

distinctionum consequentias invertendo, imò benè Scire, unire, Subjecta, et prædicata, inque denudando Subjecta ab accidentibus, in quo vera metaphysica pendet, et id facile tam difficile certis duris apparet ingeniis Sed ad rem, ubi jam Supra mon-strStratum est; quod ratione, et authoritate Scholarum constet, principium quiescere in Suo fine, qui aliter nominari non potest, nec esse, nisi Suum proprium objectum, pergo ad medium causale, Sive causam mediantem unionis, quæ analogicé instru-mentum vocari est, et illi nomen actus attribuendum.

Sicut Se habet medium respectu principii, et finis: Scilicet Sapiens, naturam utriusque participans de utroque Sine quibus. —

existere non posset, sic se habere actum qui sine potentiâ, et objecto existere non posset, sic potentia æternificans non esset nisi æternificaret æternificabilem, et eternifica-bilis non daretur, nisi per medium tanquàm instrumentum æternificationis ab æternâ potentiâ fuisset perfecté æternificatus, è quibus intellectus cum fide emergere videt necessariam æternæ Sacrosanctæ Deitatis Trinitatem, quæ uti necessarió una essentia itaque trina formâ existat, per formam constitutionis trium principiorum intrin-secé correlativorum.

Ordinationem tamen harum formarum sic capiendam esse præsumo, nempe prin-cipio non datur antepositio, uti potentiæ, seu potestati primæ, quæ vulgariter expli-catur.

sensu improprio esse quod potentiale non existens actualiter, sive adhuc, sed possibile esse per contingentiam quod principio positiva potentia multum disparet cujus primæ intentionis est quiescere in suo fine, ut objecto perfecto, quod videtur principaliorem gradum in ordinatione obtinere considerato actu medio, ut instrumento spirituali agere subintellecto sine æqualitatis principio inter ipsa destructo sic ordinando intellectus valde gaudet cum concordantiâ voluntatis, et facili receptione memoriæ, quæ tria unam constituunt animam, et qualibet harũ facultas trina est, quia intellectus intelligit intelligibile, memoria recolit recolibile, et voluntas vult amabile, sive volibile.

Hæ differentes facultates animæ unam essentiam constituunt animæ in quâ aliàs claudicans apparuit similitudo unius, et trini per intellectum, memoriam, et voluntatem, magis recta, et plausibilior est comparatio Trinitatis quæ invenitur in tribus formis differentibus cujuslibet facultatis in potentiâ, objecto, et actu.
Facultates animæ summi possent pro attributis in divinis, quæ inter se differunt, ut magnitudo, et æternitas infinita, quæ per magnitudinem magnificatur, et altera per illam æternificatur.
Attamen omnia simul unam supponunt essentiam cujus differentia attributa producunt differentes actus, quorum

diversitas non est ratio evidens trinitatis, quia ipsorum possunt esse species infinitæ, sed cujuslibet speciei attributi propria potentia objectum, et actus vivaciorem trinitatis nobis præbet imaginem.

Sic ordinatio principiorum formalium congregatorum secundum convenientiam cujuscunque quiescit in suo fine, nempe uno, primo, trino, ordinato per intrinsecam ordinationem Dei, quæ est ipsemet Deus, sine quo nullus esset ordo secundus, et hoc credibile, et intelligibile est secundum majus, quia magis credibile, et magis intelligibile est cum simplicitate, et sine multiplicatione probare, cum bonâ distinctione differentias solvente, et confusiones excludente.

Vnde hæc proba sanior apparet illâ quâ Deus Pater vocatur Creator, filius Sapientia, et Spiritus Sanctus, amor, ex quâ certa quadam inversio evenire posset, dicendo omnes tres personas esse quodlibet unum alterutrum, quia essentia una, et integra divinitatis est, Sapientia, amor, et Crea-tor, et omnes tres persona simul faciunt, unum Creantem, amantem, et Sapientem Deum, qua attributa uno ab individuo se-parata, et singulis particulariter quoddam conceptum enasci causaret oculis subtiliter intuentibus confusione potius inter essentiam, et formam, unum, et trinum, quam lucem, quod accidere nequit vocando Deum Patrem, potenti-am; filium objectum, et Spiritum

Spiritum Sanctum actum, quia neuter istorum vocari potest unum et idem in formâ differente sine confusione, et læsione principiorum trinitatis ne-cessario constituentium.
In hærendo denique huic methodo, et ordinationi superius allegatæ, teneo me sub doctrinâ clariore, et probabiliore, quæ exinde plausibilior evenit, et credo formalem tantùm dari differentiam inter personas Sanctissimæ trinitatis, et plausibiliorem probata, me nun-quam intellexisse quàm illa quæ nos docet distinctionem formalem non rejecta essentiali, et reali, secundùm meam explicationem, sed non tam claræ ad nostram distinctionem —

videntur, quia terminus forma philoso-
-phica universalior essentiâ, et realita-
-te, quæ recipiunt denominationem,
et terminationem a formâ quæ est
activa universalis formans omne esse
id quod est

Et repetendo pergo in formarum differen-
-tiis, et statuo cum gratia majorum
in ecclesiâ Doctorum, quod persona Dei
Patris antecedat, filium consequentem,
sicut potentia objectum tanquam
suum principale intentum

Ex quo provenit necessaria processio
actus ab ambobus, qui propter ambos fit,
et in ordine postponendum est illis
quod in naturâ ordinis sic disponendum
videtur.

Interim dantur communiori opinioni addicti, et jurantes in verba Magistri, quod et mihi forsan accidit contra Horatii consilium quondam suspectum Epicure-
-um pro excusatione, et lege dicentem, sed pluribus addictus non jurare in verba Magistri, certum dico me non esse ex genere condemnantium, sed potiùs ap-
-plicatum ad conciliandas opiniones minùs claras in ratione probabiliorum quæ observo in repetitâ et in ipsorum favorem sat superque extricatâ dis-
-tinctione reali, sub quâ possunt intel-
-ligere veram, et realiter existentem differentiam inter personas, quæ erit concordans cum meâ opinione, cum differentiâ, qualem optarem in

ipsorum laudem æqualiter concordantem.
His itaque hacce distinctione conceptis nul-
-lo modo timendum, incurrere chrisma illud
medioris philosophiæ doctorum Spiritum
Sanctum a Patre Solo procedere, aut quod
filium Spiritus Sanctus antecedat propter
